

Testamento del Cardinale Domenico Capranica, BAV Vat. lat. 7971¹, ff. 30-33.

(Fol. 30) Ex Arch. Incoronatorum Justorum J. III. pag. 599

5

In nomine Domini amen. Anno domini MCCCLVIII, Apostolica Sede pastore vacante per obitum fel. record. Callixti pape III, Indictione VI, mensis augusti die xiv, in presentia discreti viri d. Johannis et mei Antonii Simeonis notariorum publicorum et testium infrascriptorum ad hoc specialiter et rogatorum ab infrascripto Rmo. Dno.

10

Rmus in Xto Patre et Dno. Dominicus de Capranica S.R.E. tituli S. Crucis in Hierusalem Presbiteri Cardinalis vulgariter nuncupatus Cardinalis Firmanus, licet infirmus corpore, mente tamen sanus ex conscientia pura, timens casum future mortis, cum nihil sit certius morte et nil incertius puncto et hora mortis, nolens intestatus decedere sed potius attestatus et anime sue Rmus Dnus providere et de bonis suis disponere, ne inter remanendorum dictorum bonorum occasione scandalum aliquod oriatur, idcirco coram nobis notariis et testibus infrascriptis suum ultimum nuncupatiuum, quod iure ciuili dicitur sine scriptis, condidit, fecit et solemniter ordinauit testamentum.

15

20

Et primo Rvmus D. Cardinalis animam suam deuotissime recommendauit omnipotenti Deo, ut sibi eius peccata pareat et eius animam post eius mortem recolligere dignetur in gloria sua. Et sibi sepulturam elegit et sepelliri uoluit et mandauit in cappella sua, sita in Ven. Ecclesia S. Marie super Mineruam, cui cappella dari uoluit et mandauit secundum quod Rvmus D. prefatus et D. Angelus episcopus Reatinus germanus suus deputauerit et ordinauerit, qui de eius voluntate est plenissime informatus.

25

30

Item dixit et declarauit dictus Rvmus D. Cardinalis se aliorum ordinasse testamentum licet imperfectum et ipsius voluntatem, quod esse dixit inter scripturas et libros suos. R. P. D. quod testamentum et voluntatem uoluit et mandauit, si reperiri contingat, executioni mandari in omnibus et per omnia, cum declarationibus et clausulis infrascriptis, uidelicet quia uoluit et mandauit dictus R. D. cardinalis quod humiliter petatur uenia ab omnibus Rmis DD. Cardinalibus et quam etiam (fol 31) ipse ex nunc humiliter petit, si forte uerbo aut facto offendisset, quod sibi pareant.

35

Item uoluit et mandauit dictus Rvmus D. Cardinalis quod satisfiat de bonis suis omnibus et singulis suis creditoribus, qui veri reperiuntur creditores aut uersimiliter a sua Rma Dominatione aliquid recepturi sunt.

40

Item uoluit et mandauit D. Rmus Cardinalis satisfieri de bonis suis familiaribus D(ominationis). sue ut apparebit per scripturam prefati D. episcopi Reatini germani sui.

Item reliquit et legauit dictus Rev.mus D. Cardinalis Juliano sue R.D(ominationis). germano omnia illa bona que sibi aliorum dictus R. D.

¹ Il MS risale solo al xvii secolo ma riporta dati estratti da archivi romani.

cardinalis dedit et concessit et que dictus Julianus nunc possidet, supplens
dictus R D Cardinalis omnes defectus si forte essent in instrumento confecto
45 super iis dans et tribuens eidem D. episcopo germano suam facultatem
potestatem et auctoritatem dictorum defectuum, si qui essent, corrigendi,
supplendi et aptandi, ita et taliter et eo modo quo valeant et valere possent,
ita quod supradictis ullo umquam tempore dictus Julianus neque heredes
ipsius ab aliqua persona molestari aut inquietari possit.

50 Item voluit relinquere et mandavit dictus Rev. mus D. Cardinalis quod
prefatus R. P. D. episcopus Reatinus germanus suus et D. Nicolaus
Protonotarius, nepos dicti Rvmi Cardinalis possi(n)t et valeant habitare cum
eorum familia et stare in domibus sue R. D(ominationis). Et ubi de praesenti
manet pro toto tempore quo predictus D. episcopus vixerit et Protonotarius
55 aliam dignitatem adeptus fuerit et non vult, habitare possit de consensu
tamen guardianorum, dum tamen non tollatur propter hoc, quod non possit
in dictis domibus esse collegium scholarium quod fieri intendit et mandavit.
Item R. D. Cardinalis prefatus voluit, iussit, reliquit et mandavit quod in
domibus in quibus nunc R. D(ominatio). sua habitat et quos domus R.
60 D(ominatio). sua emit et maiori ex parte a fundamentis edificari fecit,
ampliavit et renovavit, positas in regione Columne, in platea S. Marie in
Aquiro, quibus ab uno latere tenet Jacobus accimator pannorum, ab alio tenet
D. Nolla Lellus de Scutis (fol. 32) et Bozzodare mentis acceptabilis, fieri
collegium scholarium, prout dicta R. D(ominatio). sua ordinavit in
65 quibusdam constitutionibus, qua pro constitutione ordinari et conservatione
dicti collegii fecit et ordinavit. Et vult quod ponantur in eo tot persone seu
scholares, quot poterunt ibi permanere et vivere, secundum quantitatem
fructuum et reddituum. Pro quibus quidem fructibus et redditibus dimisit et
esse voluit domum cum iuribus et pertinentiis suis, quam emit a spectabili
70 milite D. Thoma de Moronibus de Reate, positam prope S. Augustinum et
que vulgo dicitur a due Torri.

Item etiam dimisit dictus Rmus D. Cardinalis dicto collegio scholarium duo
casalia per ipsum empta, vocata videlicet unum Boccamazzo et aliud videlicet
Monomento cum iuribus et pertinentiis suis, terris et iurisdictionibus prout
75 sua R. D(ominatio). emit per manum infrascripti Antonii notarii publici.

Item etiam dictus R. D. Cardinalis reliquit dicto collegio scholarium domum
suam in platea de Paride, in qua domo fit stabulum equorum sue R.
D(ominatini) et que vulgariter dicitur lo Trullo, cum iuribus et pertinentiis
suis, posita in regione Columnae et in parrochia S. Stephani de Trullo, ita
80 quod pensiones, redditus et fructus dictarum domorum et casalium sint et
esse debeant perpetuo pro ordine et conservatione ac utilitate et commodo
dicti collegii scholarium, in dictis domibus existentium.

Item voluit et mandavit dictus R.D. Cardianlis quod dictum Collegium quam
primum ordinetur et incipiatur et secundum constitutionem et ordinationem
85 per R. D(ominationem) S. factam vivant scholares et alii in dicto collegio
stantes et existentes.

Item voluit et mandavit dictus R.D. Card. quod libri S. R. D(ominationis) qui sunt necessarii pro dicto collegio ordinentur deputentur et disponantur pro utilitate et commodo studentium in dicto collegio et alii vendantur.

90 Item voluit, disposuit et mandavit dictus R. D. Cardinalis quo(d), eo casu quo propter aliquam urgentem causam differendum esset pro aliquo tempore fieri collegium prefatum, fructus domorum et casalium dictorum recipiantur et conserventur pro dicto collegio, fiendo per guardianos hospitalis et societatis imaginis Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Vrbe. Et si ipsi guardiani fuerint
95 in predictis negligentes, quod tunc in eo casu domus et casalia predicta ac fructus eorum veniant ad manus capituli S. Marie Maioris. Et si fuerit in iis negligens tunc veniant ad manus capituli S. Johannis Lateranen. Et si dictum capitulum Lateranen. similiter negligens fuerit, quod tunc devolvatur ad capitulum S. Petri de Vrbe. Et si omnes negligentes fuerint in confectione dicti
100 collegii, voluit dictus Rmus D. Cardinalis, eo casu, quod dicta domus et casalia sint dicti hospitalis Salvatoris et libri sint ecclesiae S. Marie. Et in omnem casum predictorum episcopus Reatinus germanus suus habeat facultatem instituere facere et ordinare, cui dicto episcopo auctoritatem plenariam et facultatem dedit, omnia dubia vel non bene clarificata in hoc
105 (fol.33) suo testamento posse decidere, interpretare et declarare, quem asseruit ipsum esse plane et bene informatum de sua voluntate.

Item voluit et concessit dictus R. D. Cardinalis eidem D. episcopo germano suo facultatem plenariam, posse in omnibus quae circa negotia praedicta R. D. Cardinalis agenda erunt per predictum d. episcopum, substituente unum
110 vel plures loco sui et maxime D. Antonium de Forolivio et magistrum Franciscum de Roletto.

Item voluit et mandavit dictus R. D. Cardinalis quod dicta domus et casalia nullo umquam tempore vendi possint, quocumque quesito colore, excepta domo ubi nunc est stabulum de qua supra et quam vendi voluit, si opus est,
115 pro executione sue voluntatis. In omnibus autem suis bonis aliis, mobilibus et immobilibus, iuribus et actionibus ubicumque existentibus, fecit dictus D. R. Cardinalis et instituit suum heredem universalem R. P. D. Dominum Angelum, episcopum Reatinum, eius germanum fratrem. Executores autem huius sue ultime voluntatis et sui ultimi testamenti fecit, instituit et
120 ordinavit, dictus R. D. Cardinalis, R.P.D. episcopum Reatinum germanum suum et guardianos hospitalis Salvatoris ad Sancta Sanctorum, qui nunc sunt et pro tempore erunt, quibus dedit et concessit vim et nomen heredis ac potestatem et auctoritatem bona sua capiendi, vendendi, ordinandi, faciendi et disponendi de eo, pro executione presentis testamenti, prout superius
125 extitit declaratum. Defensores autem et protectores ac conservatores huius sui testamenti et huius sue ultime voluntatis fecit et ordinavit, dictus R.D. Cardinalis, Rmos in Christo Patres et Dominos Rothomagen D. hilarissimum (sic) D. S. Xysti et D. de Columna et quemlibet ipsorum in solidum quorum quantum potuit rogavit et eosdem humiliter supplicavit ut dictum eius
130 testamentum et contenta in eo manuteneant, defendant et debite executioni

mandari faciant, secundum ipsius dispositionem superius declaratam, cassari, irritari et annullari omne aliud testamentum seu eius ultimam voluntatem scriptam vel non scriptam manu cuiuscumque notarii. Et hoc esse voluit suum ultimum testamentum et suam ultimam voluntatem . Quod et quam
135 valere voluit iure testamenti et si non potest valere iure testamenti valere voluit iure codicillorum donationis causa mortis et cuiuslibet alterius voluntatis. Et rogavit nos notarios et quemlibet nostrum in solidum quod de praedictis unum vel plura conficiamus instrumentum vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam
140 Actum /// sic